UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt VI. Fidei exercitium circa Passionem Christi Domini, & primò circa Crucem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

mè humilis, manſuetus, patiens, fortis, modeſtus, obediens, charitate plenus, quia omnium harum
Ioan. 1. virtutum exemplar nobis eſſe debet, quia *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, accipientque omnes, gratias & virtutes, quibus ſalventur: denique ſi JESUS eſt: erit igitur Magiſter, Medicus, Pater, Judex, Paſtor, Protector, & Advocatus noſter.

Chriſtum igitur Dominum veraciter pro vero Jesu agnoſcere, eſt omnes divitias hoc nomine contentas, uno verbo explicare & complecti, ut hoc pacto poſſit animo ſimul & ſemel omnes ipſius divitias, & perfectiones, quatenus DEUS eſt, Mediator, & Advocatus univerſorum, uno vocabulo, quaſi bolo delicatiſſimo deguſtare, JESUMque contemplari, tanquam abſolutiſſimum malorum, & miſeriarum Exterminatorem, Fontemque copioſiſſimum omnium donorum, & gratiarum, totiuſque boni noſtri Authorem.

Tantam propterea in via Domini, & imitatione JESU Chriſti, proficientes è dulciſſimo JESU nomine ſuavitatem, & dulcedinem hauriunt, ut ſcriptum legamus de ſancto Franciſco, quòd in Concionibus, & ad populum Exhortationibus, JESU nomen pronuntiare non auderet, ne ut ſolebat ſuavitate, & delectatione nominis dulciſſimi, præ cordis teneritudine, in lachrymas reſolveretur.

Sanctus Paulus in Epiſtolis ſuis ad ſingula ferè verba honorificentiſſimè atque amantiſſimè JESUM nominat, neque contentus eſt, quòd ſolum eum ſeſe amare dicat: ſed inſuper gloriatur ſe ſolum JESUM ſcire, & quidem crucifixum: quorum cauſa admodum rationabilis eſt; nam cùm veri fideles agnoſcant ſalutem univerſalem, theſaurum divitiaſque infinitas, perfectiones innumerabiles, bonitatem, & amorem Dei erga homines ineffabilem ſub nomine JESU deliteſcere, quaſi delitiarum ubertate potati, & inebriati, in amorem ſuaviſſimè reſolvuntur, & hujus nominis virtute armati, audacter, & confidenter adversùs omnes tentationes, pericula, labores, difficultates prævalent, dæmonia ejiciunt, & innumerabilia perpetrarunt, & indies perpetrant miracula:
Marci 16. nam, ut inquit Chriſtus Dominus, *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis; ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.*

CAPUT VI.

Fidei exercitium circa Paſsionem Chriſti Domini, & primò circa Crucem.

§. 1.

QUia verò Crux medium fuit, quo Dominus JESUS noſtram ſalutem operatus eſt: Crucem, ceu gloriam mundi, veram laborum ſpem, arborem vitæ, ſignaculum ſalutis, ſalutem in periculis, ſublimi fidei veneratione exaltabis: hæc enim nos Deo reconciliavit, veniam peccatorum obtinuit, cælum aperuit, damna ſceleribus noſtris illata reparavit, idololatriam exterminavit, & ad veri Creatoris ſui cultum homines pertraxit, ſub hanc confugientes tentati reperient aſylum, puſillanimes robur, perfecti quietem, ſummamque lætitiam, ut de ſancto Andrea legitur, qui à longè crucem aſpiciens, præ exultatione ſpiritus clamare cœpit: *O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſsione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit*, & *O bona Crux diu deſiderata, ſecurus, & gaudens venio ad te; ita, & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus, qui pependit in te*; huc uſque verba dulciſſima, & ſanctiſsima ſunt ſancti Apoſtoli.

Nec aliis Sanctis defuit amor, & veneratio ſanctæ Crucis, quam fide noverant Chriſti Domini paſsione, & admirabilibus Redemptionis noſtræ myſteriis ſanctificatam; unde ea frontem conſignantes tanquam lorica, & galea adverſus pericula, & tentationes fortiſsima, in omni occaſione armamur.

Circa ſacroſanctum Sanguinem Chriſti Domini.

§. 2.

INter præcipua noſtræ Redemptionis inſtrumenta, eſt pretioſiſsimus immaculati Agni Sanguis, cui multis in locis ſacri eloquii ſalutatio generis humani attribuitur, ut apud ſanctum Paulum: *Iuſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus.* Rom. 5.
Et Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem, per ſanguinem ipſius remiſsionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus.* Ephes. 1.
Et ſanctus Petrus inquit: *Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.*

Sanguis ergo Chriſti pro nobis effuſus, fidei veritate diligenter animo recollectus, profunda revelat myſteria divinæ bonitatis, charitatis, miſericordiæ, juſtitiæ, ſapientiæ, providentiæ, ac omnipotentiæ divinæ: manifeſtat etiam ad oculum horribilem peccati fœditatem, excellentem virtutis decorem, nec non animarum noſtrarum tanto pretio redemptarum admirabilem dignitatem, confirmat fidem, roborat ſpem, incendit charitatem, omnium denique virtutum, præſertim profundiſsimæ humilitatis, perfectiſsimæ patientiæ, obedientiæ conſummatæ, incomparabilis manſuetudinis, fortitudinis invictæ, abſolutiſsimum præbet exemplar. Lac & mel eſt incipientibus, panis ſubſtantialis proficientibus, perfectis vinum ſuaviſsimè inebrians, & extra ſe raptos in eum transformans, qui ſanguinem ſuum tanto pro iis amore profudit, tamque ſuavibus paſcuntur dulciſsimi Sanguinis iſtius oblectationibus, & deliciis, ut nulla lingua explicari poſsit.

Aliquatenus hæc intelligere poterit, qui perlegerit Epiſtolas ſanctæ Catharinæ Senenſis, inter quas nullam reperiet, quæ non ſit memoria virtutis, & dulcedinis pretioſiſsimi Sanguinis JESU Chriſti rubricata: optabat nimirum ſancta Chriſti Domini Ancilla, omnium animas (ut ipſa loquitur) ſacroſancto iſto JESV Chriſti Sanguine irrorari, inebriari, penituſque ſubmergi.

Qui ſemel donum hoc cæleſte ſuavitatis delitioſiſsimæ Crucis hujus guſtaverunt, res omnes creatas hac Regis purpura tinctas intuentur; quod inſtanter à Chriſto Domino petere ſolebat S. Bonaventura, *Quidquid aſpexero, mihi tuo appareat ſanguine rubricatum.*

* * *

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Circa quinque Chriſti D. vulnera, virtutes, & miracula. §. 3.

ALii ſecundum affectum à Deo immiſſum duce fide intrant per vulnera, præſertim verò lateris ad cor JESU ſui dulciſſimi, quantoque voluptatis torrente potentur, ſoli ipſi norunt, qui accipiunt.

Virtutes quoque Chriſti Domini fidei vivæ oculo ita conſiderare debemus, ac ſi humilitatem, patientiam, ardentemque ipſius charitatem coram intueremur, quod maximè obſervandum eſt, in ſingulis vitæ ipſius myſteriis: ſi enim exempli cauſa nativitatem meditari voluerimus, ita vivæ fidei efficacia Chriſtum Dominum natum ex virgine, jacentem in præſepio, adoratum ab Angelis, & paſtoribus, repræſentare nobis debemus, ac ſi ad latus beatiſſimæ virginis MARIÆ, quæcunque ibi geſta fuerunt, cerneremus & audiremus.

Idem dicimus de Magorum adoratione, cui noſmetipſos ita contemplando præſentes exhibebimus, quaſi ex aliquo porticûs angulo videremus, & gauderemus de myſtica Sanctorum iſtorum Regum oblatione auri, thuris, & myrrhæ, quibus veram Pueruli illius Divinitatem, ſimul & Humanitatem proteſtabantur.

Pari fidei aſylo perpendenda ſunt Chriſti Domini miracula, cæteraq; ipſius opera, ac præcipuè reliqua profundiora vitæ, & paſſionis myſteria, ſingulas quas fides tradit circumſtantias exactè diſcutiendo, ut perſonæ, quæ patitur, quæ DEUS eſt, quid patitur? ſummos dolores, ignominias, opprobria; pro quo? pro homine ingrato; quomodò? ſponte ſua, maximoque amoris, & charitatis affectu. Omnia hæc docet fides, aperitq; juſtorum oculos, ut Dominum ſuum nudum, cruciq; inter latrones affixũ, tali doloris ſentimento contemplentur, ut affectu interiora animi viſcera penetrante, in ipſum transformentur, fiatque illis Chriſtus nudus, & Crucifixus, vitæ ſcopus, baculus peregrinationis, refrigerium laſſitudinis, tribulationum ſolatium, adeo, ut ſola hæc tria verba, CHRISTUS, NUDUS, CRUCIFIXUS, in alium eos mundum, & differentem ab iſta regione, vbi harmoniam & conſonantiam myſteriorum noſtræ redemptionis depurata aure percipiunt, introducant, præbeantque dulciſſimum laborum condimentum, excitent maximum peccati horrorem, & ad ardentiſſimum Dei amorem inflamment.

CAPVT VII.

VitaChriſti Domini, liber vitæ, univerſalem continens animarum noſtrarum medicinam.

TRia verba hæo ſunt liber vivus, vitæ exemplar, abundantis compaſſionis ſeges, & quaſi ad pedes Crucis ſtantibus, fons lachrymarum: quomodo S. Franciſcum legimus ex memoria dolorum, & opprobriorum ChriſtiD, tantos planctus edere ſolitum, ac ſi jam defacto videret eum in Cruce mortuum: S. etiam Paulus gloriabatur
1. Cor. 2. dicens, *non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum.*

Duo ſunt fontes præcipui, quibus aquam vitæ haurit juſtus, Scriptura ſacra, & vita ac paſſio D. Salvatoris; primus continet doctrinam ſcriptam, traditque præcepta ac regulas, ut ſecundùm vocationem fidei dignè vivamus, ut priori libro latius diſſeruimus: Alter continet vivum iſtum librum, ſive VERBUM, amore noſtri, incarnatum, in quo *Deus homo*, doctor ac magiſter noſter, non verbis ſolùm, ſed exemplis ſuis (qui multò efficacior eſt docendi modus) quæ proſequi, quæque averſari debeamus, tradit.

Idcirco enim inquit Sanctus Paulus, Chriſtum
Dominum non ſolùm nobis factum juſtitiam, re- 1. Cor. 1.
demptionem, & ſanctificationem: ſed etiam ſapientiam à DEO. Fuit enim IESUS Chriſtus inolitos mundi errores exterminans, dux, & lux; meritò quoque juſtitia noſtra dici debet, cum doloroſiſſima ſanguinis ſui effuſione juſtitiam noſtram promeruerit, noſquè juſtificaverit.

Idipſum ſignificare voluit Dominus, apud S. Ioannem, cum dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita*: via, quia infuſo fidei habitu deducit nos per ſemitas juſtitiæ, & ſalvationis æternæ; *veritas*, quia non irritabit Dominus promiſſiones ſuas, fidelis enim eſt, & juſtus: *vita*, quia peccatis mortuos reſuſcitavit ad vitam, vivificavit per gratiam, deſtinavit ad gloriam.

Quia verò nemo venit ad Patris Divinitatem, niſi per Chriſti Domini Humanitatem, nemo etiam ad veram pervenit juſtitiam, niſi ſanguine JESU Chriſti juſtificetur, meritiſſimo jure ſapientia noſtra, & juſtitia dici debuit. Accedentibus præſertim exemplis vitæ ipſius ſacroſanctæ efficaciſſimis, tum ad aperiendos oculos noſtros, tum ad mores corrigendos, nec non ad homines per viam tantæ majeſtatis veſtigiis tutum, ad portum vitæ æternæ deducendos. Sacra enim JESU Domini noſtri paſſio liber eſt vivus, multò profundius legentis animo, Dei cognitionem, & amorem ingenerans, quàm viſibilis univerſi mundi fabrica: unde mulierculas ſimplices, & ignorantes ſine aliorum librorum lectione, ſola conſideratione ſacrorum paſſionis Chriſti myſteriorum, quæ vel in concionibus explicari audierant, vel picturis repræſentata, & imaginibus, quæ idiotarum ſunt libri, attenta fidei vivacitate perſpexerant, ad ſublimiorem aliquando perveniſſe videmus charitatis, bonitatis, miſericordiæ, providentiæ Dei notitiam, quàm plurimi ſublimi philoſophiâ, aliiſque ſcientiis excellentes.

Sic prophetæ Iſaiæ de Meſſiæ temporibus adimpletur vaticinium; *quia repleta eſt terra ſcientia*
Domini ſicut aquæ maris operientes: tanta enim ex Iſai. 11.
paſſione Chriſti Domini hauritur ſapientia, ut S. Paulus, poſt audita in tertii cæli paradiſo arcana verba, ſe adhuc nihil ſcire fateatur, niſi JESUM, & hunc Crucifixum.

De tribus libris, ad ſtudium ſapientiæ homini à DEO datis §. 1.

TRes igitur, ſi diligenter conſideremus, reperiemus libros, homini ad ſtudium ſapientiæ, & ſcientiæ Dei aſſignatos.

Primus eſt creatuçarum, in quo legat divinæ ſapientiæ magnitudinem, mundum iſtum, cum ordinatiſſima conſonantia, & harmonia diſponentis: Omnipotentiam, qua ſolo nutu univerſa, quæ voluit, fecit: admirabilem providentiam, qua ſingulis creaturis ſuis abſque ullius indigentia abundè neceſſaria ſuppeditat, cæteraſque divinas perfectiones, quas opera manuum ejus enarrant.

Magnus Antonius in hoc creaturarum libro ſe ſtudere, Philoſopho, inquiens, alios multos,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN